GEORGI ANSELMI NEPOTIS HECUBA

Giorgio Anselmo



GEORGI ANSELMI NEPOTIS, HECVBA.

POLYDORVS.

ENIO, relicta Ditis inferni domo,
Audi profũdũ Tartari emẽsus specũ
Per senta scrupeo situ & tenebris loca,
Seorsum ubi a dis inferi sedes tenent,
Cissëidis Polydorus infelix puer.
Furtim Ilio me stante regi Thracio
Priamus alendum misit hospiti pater,
Qui Cherronessiæ optimam diues plagæ
Tellurem arat: duellicum urguens, sonipedes,
In bella detestata matribus, gregem:
Cum pondere auri maximo. Cum iam miser
Vrbem graui obsidione cerneret premi.
Vt Troia si quando rueret a culmine,
Malesuada sanguini fames ne sit suo.
At ipse Priamidarum eram admodum puer
Neq; enim arma ferre, nec per ætatem uiris
Erat eminus ue, comminus ue, congredi:
Quo regni abesse me alea uoluit pater.
Quam autem diu regnum incolome, fortunaq;



Telluris incõncussa Troiæ stetit/
Et frater Hector bella felix martia
Pugnabat: hospite a paterno bene habui:
Puerliumq; desinens/annos rudes
Exibam/ut arbos in dies recens/miser.
Vt Teucrum opes fractæ/recessitq; impotens
Fortuna: & Hector obcidit: domus quoq;
Et Pyrrhi/ad aram Achilleos manu/pater:
Victricia arma/Agamemnonisq; res/bonus
Secutus Hospes: omne fas abrumpit: &
Me obtruncat/ut potiatur auro: mox fretis
Dici inanem proicit minacibus.
Et nunc/reciproca interim Thetis solo
Adlidit: interimq; conlidit salo
Inhumatum & infletum. Feror caram ad Hecubam
Matrem meam: meo relicto corpore
Iam tertium pendens diem: ex quo ab Ilio
Tellure cherronessia captiua adesti
Pelasgi ubi cum classe concti sessitant.
A tumulo enim tenuit Achilles copias
Omneis Achiuum/uissus ad lares pede
Per cæca dum properant uada citi nauibus/
Petens sororis sanguinem Polyxenæ.
Ponent neq; hoc uiq; homines in initos
Sic ominosa pertinaxq;/uisq; atrox

Fati/sororem in fatā acerba āgit meam.
Hodie duorum filiorum corpora
Videbit/& Polyxenæ/misera/& meum.
Veniam ad pedes seruæ propinquus mulieris
Pro litore/ut tandem sepulchrum sortiar.
Cocyti enim exorauiinamabilis deos
Adire/terram iniciat ut saltem mihi/
Desiderabilem parentis ad sinum.
Hoc contigit mihi prorsus ex sententia.
Accedam ad Hecubā:nam pedē ab Agamemnonis
Tentorio/Idolum timens meum/refert.
O mater ex regalibus domibus/diem
Quæ seruitutis intuens:feliciter
Vt olim.ita infeliciter degis hodie.
Deorum aliquis ut pristinam sortem tibi
Inuidit:his/tot læta mutans tristibus.

HECVBA.

Agite ætto effoetam/agite o filiæ
Sub tectum/patientem unius heri/
Troades/olim reginam uobis:
Tollite/trahite/
Mittite/ferte/hos artus
Vetulam adcipientes manuat ipsa
Baculo innixa manus rugossas

Curuo/anteferam longo greffum
Senio tremulum/atq; annis debilem.
Lux Iouis o/quæ/o nox tenebroſſa
Suſpenſam me inſomnia terrent?
Venerabilis o Tellus mater
Nigripennia quæ ſomnia generas
Noctis imaginem deprecor atræ/
Triſtia uiſa/meo
De filio/e quorum quem diues
Thracia alit: Polyxenaq;
Filia: ego per tenebras uidi
Vidi terrifica/adcepi
Feraq; didici.
Numina uos ſoli/ſeruate filium
Vnica noſtri qui anchora lars/
Hoſpite cuſtoditur patrio
Miſſus alendum Thrace niuoſſa.
Quidnam/quid noui?
An uero alius gemitus/gemitu?
Non alias ſic ſollicita horret/
Formidat/mens.
O ubi nunc ora Heleni inſana
Vel Caſandræ uideo Troades?
Quæ ſomnium explicarent.
Ceruam uidi enim ego uariam

Lupi ab ungue cruento iugulatam
Propriis genibus raptam miseriter.
Tale& terriculum nobis
Verticibus altis uenit tumuli
Phantasma Achillei:
Poscens aliquam olim miserarum
Sibi Troiadum.
A mea igitur istud nata/a mea
Vos procul o Dei abigitote.

CHORVS.

Hecube/festinanter adiui
Te/destituens scenas dominorum
Sors me decreuit, dura ubi seruam
Exactam miserabilem ab urbe
Olim Iliade/hortenda hasta
Spoliata bello ab Achiuis.
Nil solicitudinis exemptura/
Nunc ii onus sed durum hoc subiens
Mala significem ut uobis mulier.
In enim Argiuum plena synodo
Tuam Achilli aiunt natam uisum
Iugulare: egressus nam tumulo
Cum rutilis se ostendit in armis
Pontiuagas continuit naues

Torto nixas uella rudenti
Talia Vociferans: Quo Danai
Quo abitum/tumba nostra
Sine honore relicta.
Turbida dehinc contentio gliscit:
Sententiaq; armato duplex
Graiorum fluctuat exercitu.
Victimam enim his dare uisum: & secus his.
Fauet ipse tuis uehementer bonis
Placido Vatis gaudens Bacchæ
Lecto/Agamemnon.
Robora Athenarum autem/duplicis
Sermonis/Thesidæ/auctores
Sententiam in hanc conueniebant.
Viridi tumulum sanguine Achilli
Spargere: blandos uero Casandræ
Pelidæ forti usq; negabant
Hastæ præponere/lectos.
Studia indeq; & inde prope æqua aderant.
Dum Laertiades/plebicola/
Mucro/suauiloquus/persuadet
Multiscius omnes/Ne Danaum
Longe præstantem respuerent
Vnius ob mortem captiuæ:
Audiat istud ne aliquando scelus

Styx nocticolor.
Ingrati quod Danais/Dánai
Obiecta pro Graecis anima
Troiae procul a solo abeant.
Venit ut Vlysses/qua alias nunq̃
Rapturus tuam ab ubere natam
Deq; senili turbidus ulna.
Templa frequens altariaq; adeas/
Procumbe Agamemnonis ad genua.
Subplice cultu supera exora/&
Numina Auerni uel ne careas
Virgine proni dabunt nata/
Orba necesse est aut aspicias
Prociduam ceruice/rubentem
Sanguine purpureo/auriferae ac sinum
Tabo undantem miserum atro.

HECVBA POLYXENA.

HEC. Quid ego audio?quas misera hodie
lacrimas dabo/gemitusue/
Infelix?aerumnfelicis:
Sortis durae:infandaeq;
Seruitutis/misella/heheu
Quis praestabit/quis nam auxilium?
Quae proles?quae urbes nobis?

Nusq̃ contra: nusquam natis
Quam uero: hanc: an illam uadam
Demum uiam? Dæmonum quis
Præsidio: quis Diuorumue?
O mala perpessæ Troades:
Atrocibus implicitæ lacrimis,
Mihi amplius amabilis
In uita lux non est: perii/
Nulla infelix iam sum: duc iam me: me
Pes/ age/ duc/ ædita ætate defessam
Aulæ celsa ad limina: Prodi matris
Infelicis filia/ prodi iam
Misera ex ædi: ut scias audiam qualem
Tua qualem sermonem ego de anima.

POL. Heu mater/ quid clamas? quid me
Consternatam ceu pullum
Domo excisti/ inplumem?

HEC. Mea nata heu POL Quidnã hoc? mala mi omina.

HEC. Tua heu de Vita.

POL. Expone/ ultra oro ne celes
Formido/ formido/ mater
Age/ quid nuncias?

HEC. O foetus foetus miseræ matris

POL. Quid ais/ quid tu?

HEC. Argiuum te cõmunis damnauit

Consensus morti/Pelidae ad bustum.
POL. Hei heu mater/quid dicis?
Miseranda mala:
Effare/effare haec tandem mi mater
HEC. Dicam nata:horrendam narrant
Famam/infelici/Argiuum decreto
Vita mihi/de uestra.
POL. O aspera passa/& usq; infelix
Heheu uitae mater miserae
Qualem/qualem/rursum erumnossam erumnam
Inmisit/quicumq; est/diuum
Tibi nata/nata/non amplius
Aeuo infelici seruitum infelix ibit:
Montanum/nam me/ceu Scymnum
Pullum infelicem/infelicem
Tuis/aetherea inanem aura
Vellier aspicies finibus
Ac stygis in tenebras dari:
Manium ubi comes misella aeuum exigam.
Mater/at te infortunata/
Aeterno lamentor fletu:
Animam neq; enim hanc dispendiumq;
Defleo:quippe perire mihi olim
Sors melior/quam uiuere/dictat.

CHORVS. VLYXES. HECVBA. POLYXENA.

CHO. At at citis adest Vlysses passibus
Aliquid tibi, Hecuba, nunciaturus noui.
VLY. Mulier, licet sententiam equidem scire te, &
Decretum, opiner, Constitutum exercitus
Dicam tamen. Grais placuit Achillei
Celsum, facere Polyxena, ad tumulum tua:
Veni puellam missus ut perducam ego.
Antistes autem factus est sacrificii
Achillis ipsius & sacerdos filius.
Quid agas uide, nam tute neq; per uim obcupa,
Neq; utere aduersum me inutili manu.
Cognosce uim sortis tuæ ac præsentiam.
Sapientis est nosse in malis quid conferat.
HEC. Heu constitutum, ut uideo, maximum mihi
Certamen, anxiumq;, plenum lacrimis.
Ego enim cum oportuit perire, non peri,
Nec igne perdidit trisulco Iuppiter.
Misera ego, luce quæ fruor inani, ut malis
His, alia deteriora sentiam mala.
Sed liberos rogare si seruis licet
Nec tristia adeo, nec molesta: conuenit
Vos, sciscitantes quæpiam æquo animo pati.
VLY. Effare, neq; enim tempus inuideo tibi.

HEC. Meministi utiq; quando speculator ilium
Profectus olim informis atq; sordidus/
Metuq; mortis humor ibat in genas?
VLY. Recordor/& menti hoc inhaeret altius
HEC. Cognouit Helena sola te/& retulit mihi.
VLY. Meminiaut tenax periculorum memoria.
HEC. Genua adtigisti cum humilis esses tunc mea.
VLY. Periit tuis pene in peplis subplex manus.
HEC. Certe salutem inpendi/& extra moenia
Te sospitem misi. VLY. utiq; solis ut iubar
Intuerer hocce. HEC. Seruus & quid tunc meus
Dixti? VLY. Profecto/ne perirem/pluria
HEC. Sic ne/ista quae fateris a me olim data
Cum adceperis/consilio opem fers in malis?
Facis nihil boni/at mali quantum potes?
Ingrata gens/quicumq; sequimini fora/
Fandoq; honores inprobe aucupamini
Incogniti semper fuissetis mihi.
Qui beneuolis miuti omnibus: nihil
Omnino pensi ducitis: dum plurium
Ventossa agendo studia prosequamini.
Prudentiam hanc quandam arbitratiim filiam
Meam/dedistis calculum infandum necis?
An uos pium putatis obcidere hominem
Ad tumulum? ubi inmolare conuenit boues.

Hostes quidem ulcisci suos iuste uolens
Intendit huic uicissim Achilles exitum?
Istaec nihil molita in ipsum unq est mali.
Helenae sepulchro petere oportet sanguinem/
Hunc illa perdidit/hunc eq misit in Phrygas.
Ceterum aliquam necesse si ex nobis mori
Pulchram atq nobilem: hoc neq est nostrum quidē.
Tyndaris enim/aeque infensa/longe pulchrior.
Neq/arbitror/sermonem inique hunc confero.
Quae autem rependere oporteat petente me/
Audi, meam adugisti/ut dicis/manum
Subplex: senemq; tute demulcens genam?
Tango inuicem te/& repeto eorum gratiam
Quae me fateris praestitisse olim tibi:
Ne filiam e manibus meam auferas: neq;
Vita exuatis: mortuorum plus satis.
Ego tot malorum oblita sum hac superstite/
Relicta pro multis mihi haec solatio/
Alumna/ciuitas bacillum/dux uiae.
Inpia neq imperare uictores licet:
Certe neq; ex sententia felicibus
Cessura semper omnia/aequum est credere.
Fui & ipsa: nunc serua/amplius non sum/tua:
Felicitatem omnem dies una abstulit.
Tu uero subplicantis haut spernas preces:

52

Profectus autem in castra Achaica/ differe
Inuidia quod summa est necare feminas
Veniam quibus dedistis/ aris hostico
Prius impetu abstractas/ sacrisq; adytis deum.
Nam par/ penes uos/ liberis est hominibus
Seruis q;/ constituta lex de sanguine.
Auctoritas male dixerit quamuis tua/
Suadebit omnino. Idem enim ore ab inprobo/
Proboq; ueniens sermo/ non idem ualet.

CHO. Non est hominis usque adeo natura effera
Lamenta quae tua/ & grauem gemitum audiens/
Non statim obortis lacrimis sinum inpleat.

VLY. Hecuba/ audias precor/ neq; irato/ grauem
Animo bene loquentem tibi inimicum effice.
Ego te quidem/ cui debeo/ omnibus modis
Saluare promptus sum/ neq; aliter cogito.
Sed quae palam ipse dixerim/ non inficior/
Capto Ilio sibi litari exercitus
Cum posceret princeps/ tuae anima filiae.
Hic morbus est plerisq; ciuitatibus
Cum strenui nil amplius/ quam ignaui habent.
Nos Thessalum dignum equidem honore isto ducē
Pro Achaia acriter cadentem/ credimus:
Non igitur hoc turpe est/ uidente si quidem
Sumus usi amico: mortuum obliuiscimur

Quid hostium si quis tumultus ingruat
Faciemus iterum? an ibimus leto obuii?
An uoto eunus huiusce lucis desides,
Indecorem honoribus uidentes ultimis
Virum, nihil qui debeat coelestibus?
In uita enim quantumlibet minima mihi
Forent satis: dum gloriossa, nec carens
Honore mors contingeret nouissimo:
Incana me ut diu loquantur saecula.
Miseranda si dicis pati te: audi inuicem.
Annosiores, quam tu, apud nos feminae
Nihilominus sunt plurimae, miserae quoque
Et uirgines orbae maritis optimis,
Idaea quorum busta puluis obperit.
Patere ista, sed si turpiter decernimus:
Rei quidem stultitiae erimus: fortem uirum
Atque optimum, non prosecuti honoribus.
Vos barbari autem, non amicos creditis
Vobis amicos: sed neque admiramini
Feliciter uitalis aurae prodigos,
Ideoque Graecia in dies beatior:
Vos digna uestris sustinete moribus.
CHO. Heu seruitutis quam malum est iugo premi
Patiuntur omnia dura uicti & aspera.
HEC. O uerba nequicquam tua pro nece mihi

Lactata: tu si quid parente plus potes
Effunde uires/nata/uelut Aedonis
Vocem eliquans/spoliata luce ne cadas.
Procumbe Vlyssis ad genua/precareq;/
Obcassionem quippe habes: sunt filii/
Sunt pariter huic fortunæ opem ut ferat tuæ.

POL. Video te Vlysses dexteram sub pallio
Manum obculentem/fronte diuersa/tuam
Puella ne contingerem infelix genam.
Confide/subplicem meam fugis Iouem
Quia te sequar. Necessitate enim mori
Viuentem oportebat: quod utiq; si negem/
Mala dicar/& amatrix nimis uitæ mulier.
Sed cur ego optem non mori/cui rex pater
Olim Phrygum omnium? hoc prius uitæ mihi.
Deinde spe educata sum pulcherrima
Tunc sponsa regibus: neq; æmulatio
Mihi nuptiarum exigua/quoscumq; ad lares:
Quoscumq; sortirer thoros/misera: Phrygum
Regina nuruum/& inter alias uirgines
Spectanda: magnis par/nisi morerer/deis.
Nunc serua sum: primum quidem hoc nomen/necis
Adfert amorem/cum sit insolens/mihi.
Crudelis hinc fortasse iussa perferam
Captiua heri/quicumq; me argento emerit/

Magni Hectoris/tot fortium heroum/soror:
Cibi molesto qui onere faciundi/aut graui
Labore/uertendi pauimenti/indito/
Turpemue radiis dedicans antistitam/
Vitam omnia per extrema coget ducere.
Measq; seruus aliquis emptus polluet
Dignas uerendis regibus primum/faces.
Munus profecto hoc lucis/ exuo libens
Adiudicans Dis corpus inferis meum.
Duc me/o Vlysse/ duc/statimq; interfice:
Nil spei enim fiduciæ ue usquam mihi
Intueor/ unde oporteat benefacere.
Tu/ne parens/dictoue factoue impedi/
Sed suadeas/ante adcidat quam turpius
Quidquam/atq; præter dignitatem/obcumbere.
Quisquis sinistram insuetus est sortem pati:
Et si ferat/magna hoc facit molestia.
Mori quidem præstat magis quam uiuere:
Nam sordida uita nihil difficilius.
CHO. Insigne longe/& sane longe magnificum
Inter homines/parentibus nasci optimis:
Clarumq; dignas stemma mentes prouehit
HEC. Pulchre quidem inquis/nata/uex huic pulchro inest
Mœror:si oportet filio autem Pelei
Morem gerere/turpemq; famam euadere/

Ne uos Vlysses/hanc neci demittite.
Me/me/prius/sed tractam Achillis ad rogum
Confodite/ne parcite/ego enim genui Parin
Qui filium Thetidis sagictis perdidit.

VLY. Neq; te/o anus/senire imago postulat
Graecos Achillis mortui/sed hanc petit.

HEC. Mactate sed uos me/mea cum filia
Fietq; mortuo petenti talis
Et adgeri cruoris haustus amplior.

VLY. Sat est puellae mors tuae:neq; alteri
Cum minime debeamus/addenda altera.

HEC. Me filiae longe necesse est conmori.

VLY. Quinam?mihi dominum esse neminem scio.

HEC. Istam tenebo/ut hedera quercum flexipes.

VLY. Prudentioribus igitur non audies?

HEC. Non deseram ipsa filiam uolens meam.

VLY. Verum neq; ego reliquero hanc ipsam tibi.

POL. O mater/adquiesce/te precor/mitis
Tu quoq; puer laertii/parentibus
Iusta quibus indignatio est/indulgeas.
Pugnate noli & tu misera uictoribus:
Sterni ne tu ad terram/tuumq; uis trahi
Senile corpus/atq; trussa turpiter
Indigna fortiore brachio/pati?
Quae/quoniam iniqua/tu ne quaesso perferas.

Sed/cara mater/da manum dulcissimam
Manu/ & genam pariter genæ/contingere
Post hac enim nunquam:sed hunc iam circulum
Radiumq; solis intuebor ultimum/
Hora quidem extrema moritura te adloquor:
O/mater/o genetrix/abeo/abeo ad inferos.
HEC. In luce nos hac seruiemus/Filia.
POL. Sine nuptiis/quibus minime me oportuit.
Carere, HEC. Nata/misera:& ego misera quoq;.
POL. Vissura sine te Acherontis intus domos.
HEC. Hei quidnam agam/uitamq; ubenam finiam?
POL. Serua moriar/parente nata libero.
HEC. At ipsa quinquaginta priua liberis.
POL. Verbis quid Hectori tuis/quid & seni
Dicam marito? HEC. Me omnium miserrimam.
POL. O blanda quæ nos educastis ubera.
HEC. O muliens fati sinistri filia.
POL. Vale o parens/uale:uale & Casandra mi.
HEC. Valeant quidem alii:gaudia haut matrem decent.
POL. Fraterq;/equestres nunc qui apud Thracas/meus.
HEC. Si uiuit uiq;:uix enim credo:ita me atrox
Fortuna morsu incessit undiq; aspero.
POL. Viuit:tibiq; claudet oculos mortuæ.
HEC. Peri/ante quam infelix perierim ego/a malis.
POL. Duc/duc/Vlysse/me caput uoluens peplis:

Quia ante cor/iugulata quam sim/fletibus
Matris liquani:& hanc simul/dum conqueror.
O lux/tuum adpellare enim nomen licet
Mihi:nam nihil plus interest/quam Achillei
Pyram inter atq enses/misella uenero.

HEC. Heu desero//soluuntur heu gelu mihi
O nata membra/tange matrem iam/manum
Tendens/neq orbam linque:Amicae Troades
Perii/Lacaenam sic sororem Castorum
Helenam intuerer:ab imo enim felicia
Inlicibus oculis Pergama/euertit solo.

CHORVS

Aura pontias/aura quae uagas pelagi aestuantis
Citas agitas ratis per undas:
Quem uehes miseram me in orbem?
Cuius/ancilla heu sorte ducta infe
Lix/perueniam ad domos?Dondis portum
Terraene?iacentesne Phthiadis saltus
Inamabilis:Apidano ubi fama est
Gaudere liquido campos?uagam pelago insulamne:
Animam concta in pericula urguens tristem:
Palma primum ubi cara Coecendi
Vbi Laurus inconcussas frondis tenet:
Sancti illa puerperii sublime monumen
Tum:cum Delia

Cisq; adulescentulis misella/magnæ
Crinale canam Dianæ/arcum/sagictas Lyciasq;
Palladis aut excelsa urbe pulchrisellæ/iungam
Peplo in croceo/equos/carpentis/solers/uolucres/
Dædalæum textum/phrygiis percurrens acus?
Titanum seu progeniem/quam fulmine Iuppiter
Saturnius inpulit retrorsum. Hei mihi filiis/
Hei genitoribus/patriæq;/altis Achiuum
Quæ euertitur ignibus: serua autem
Relinquam Asiam ipsa/Europæ iuga passam/
Mutans cum styge atra thalamos.

TALTHYBIVS. CHORVS. HECVBA.

TAL. Dicite/potentis Ilii/quonam loco
Dominam inuenirem olim/puellæ Troades?
CHO. En ecce humi reuoluta/pone te adcubat
Talthybie/peplis anxium obnubens caput.
TAL. Pro Iuppiter/quid dicam/utrum te cernere
Homines putem/an mortalium frustra genus
Putare quoquam adesse coelites deos:
Fortunæ an arbitrio omnia potius regi?
Regina non hæc ipsa diuitum Phrygum?
Priami uxor illius ne felicissimi?
Et ciuitas nunc tota corruit quidem/

At ipſa ſerua/atq; orba/anuſq;/puluere
Supina ſternitur/ſolo illidens caput.
Pro/ ſum ſenex certe/adtamen moriar prius
Vtinam/aliquam quam ſordidam in ſortem cadā.
Surge/o miſera/ſurge:& ſenecta ægrum latus
Inopi/erige:incanumq; uerticem leua.

HEC. Pro/quis iacere corpus haut ſinit meum?
Quid me excitas/quicumq; es/adflictam & grauē?

TAL. Talthybius adſum Danaidarum nuncius
Miſſus tibi/mulier/ab ipſo Agamemnone.

HEC. Eia o amice/& me necari ſcilicet
Videri Achiuis/nuncias? nil gratius.
Properemus ocius/ſenex/i præ/ſequor.

TAL. Tuam puellam quo ſepelias mortuam
Mulier/uenio te acitum: Atridæ autem duo/
Populuſq; miſſit omnis huc Achaicus.

HEC. Heu/quid ais?haut me/ut pariter obcidant/uocas:
Verum ut mihi tam grauia ſignifices mala?
Filia/periſti/ rapta matris e ſinu/
Et ipſa/quantum ad te/orba ſum: heheu miſera ego:
Dic/fare/quo necaſtis hanc modo o ſenex?
Reuerenter?an ſcæuiſtis in eam durius?
Ingrata quamuis/effer in medium tamen.

TAL. Me duplices ad lacrimas cogis/mulier/
Nam flebo filiæ necem memorans tuæ:

Vt sanguinem cum fudit ad tumulum cadens.
Aderat quidem omnis multitudo exercitus
Achaici/uisura uirginis frequens
Cedem tuae/arduum ante tumulum Achillei:
Cuius/Polyxenam/manu cum filius
Cepisset/alta ad busta constituit patris:
Et iuxta ego:lectiq; Achiui nobiles
Iuuenes/tua luctamen arcentes/manu/
A filia secuntur:aureum hic Scyphum
Achille/libamenta mortuo/satus
Tollit parenti:significat autem mihi
Conctis silentium uiris indicere.
Ego uero surgens hæc palam edixi omnibus.
Silete Danai omnes/silete exercitus.
Omnis stetit tunc multitudo inmobilis.
At ille.Peleo o sate/ac parens mihi
Hæc praemia sacra mortuis/placantia/
Adcipe/& ades purum puellæ sanguinem
Quem exercitus donamus atq; ego/ut bibas.
Placatus autem rite fias propitius/
Classemq; solue:& fac beati ab Ilio
Nos conpotes reditus/reuerti in patriam.
Tantum locutus. Vniuersus hoc idem
Exercitus precatus est.deinde aureum
Ensem exuit/pubisq; Argiuæ inmuit

Lectis Iuuenibus/uirginem manu obcupent.
Hæc autem ubi intellexit: o Danai/face
Populati/ait/ferroq; patriam meam/
Morior lubens/nemo mihi iniecent manus:
Præbebo enim ceruicem/& ibo ultro obuiam
Cassura/gladio: liberam me/ut libera
Moriar finite: regina enim cum sim/stygis
Seruam nigro dici quoq; in regno pudet.
Moti quidem hac uoce populi/Agamemnonq; rex
Omnes abesse a uirgine procul imperat.
Haussere/festinanter/ut uocem ultimam
Fecere missam/regis edicto inclyti.
Post quam/potentis/illa mandata audiit
Domini: pepla a summo adripit humero/simul
Mediumq; scindit ad latus pubis tenus/
Nudans papillas/marmoreaq; pectora
Simulacra stare ueluti eburnea adsolent.
Hinc procidens/infirmo humi flexo genu
Moestissimam misella uocem protulit.
En pectus/o Iuuenis/paratum iam neci/
Feri: uel in ceruice si cupias magis:
Colla ecce in exitum mea hæc patent tibi.
Ille uelut ambigens/& ad cedem piger
Mucrone spiritus iter infesto secat.
Fluit/recepta morte/per pectus cruor

Ex uulnere ingens:nec tamen moriens adhuc
Oblita decoris quin honestius cadat/
Tegatq; quae marium tegi oculis conuenit.
Patulo ut anima de gucture in certum gemens
Abiit:statim non unus Argiuis labor.
Pars mortuam quidem tecentibus manu
Sparsere frondibus:sub auras pars pyram
Struxere picea/nigra & aduecta Ilice:
Tali increpantes otiosos iurgio.
Interfusti his tutemet neq; habens peplum:
Neq; mortuae ornati adferens quidquam/negas
Viragini dare aliquid huic fortissimae/
Atq; optimae animum? Talia hi de mortua
Tua ferebant filia.sed uideo ego
Genuisse prolem te inclytam infeliciter/
Solam miserrimam omnium mortalium.

CHO. Erumna Priamidis/meaeq; urbi modo
Grauis:deorum haec pertinax necessitas.

HEC. O nata/circunstantibus tantis malis
Quod conquerer/miseram me/oporteat prius
Non sat scio:Si enim fleam infortunium
Aliquod/retrahet hoc me:reuocat iterum alius
Me moetor hinc/malumq; subcidiuum malis.
Et nunc acerba sors tua/& cassus grauis
Ne doleat/ex animo meo euelli haut potest.

Sed leniorem rursus hunc facis mihi
Cum mente tam excelsa puella diceris.
Non igitur hoc plerisq; mirum est omnibus/
Tellus benigni experta munus si aetheris
Quamuis mala/parit optimam frugem tamen:
At destituta coelitus/licet optima/
Adferre nequaquam bonos fructus potest?
In hominibus/malus quidem/semper malus:
Probus/probus:neq; ob sinistram frangitur
Sortem;neq; alius est/nisi semper probus.
Alimenta nunquid & parentes adiuuant?
Generosa multum utiq; habet educatio
Recti ad studia/& aequi:haec quidem qui didicerit
Turpe/ipsa honesti regula/norit satis.
Et haec quidem iactata nequicquam mihi.
Tu autem ito/significatoq; Argiuis/meam
Ne adtingat ullus filiam:turbam arceant
Omnem:in potenti/maximoq; exercitu
Nam multitudo incontinens:tum nautica
Licentia/igne feruido uiolentior
Nocens enim & malus/mali qui nil facit.
At/o senex/huc uasse sumpto clanculum
Adfer maris lymphas ut abluam meam
Nunc filiam demum/lauacris ultimis/
Nuptam/puellam:uirginem/neq; uirginem/

Atq; efferam:ut digna est quidem/ unde?non queo?
Verum ut queo:quid enim misera tandem queam?
Cultus mihi tabernacula inhabitantium
Hoc coge captiuarum/& adsidentium/
Illarum habet quisquam suis si ex aedibus
Domini hactenus quod nesciant quidquam noui.
O aedium facies/beatae olim domus/
Variarum opum diues Priame/diues bonis
Et ipsa mater filiis senex quoq;
Priore deiecti statu nostro/ad nihil
Existimationis ut peruenimus?
Deinde nimirum intumescimus? lare
Opulento alius/aut gente splendida potens?
Alius fauoris aura mani/& fascium
Honore surgens pendulo. Sed haec nihil:
Frustra nimis consilia diligentiae/
Fastusq; linguae: Nam ille felicissimus
Cui per diem aduersi nihil contingeret.

CHORVS.

Mihi erumnae graues/mihi damna aspa imminebãt/
Iturus rate per freta truculenta/Phrygias
Domui ut ubi ualida trabes bipenni
Helenã ut traheret Paris/ Sol quã demiratur Hyper
Ionides: certe labores anxii/

Atq; his longe Necessitatis
Lex urguet uiolentior: solus quippe stultitia
Tulit mala mihi Simontidiq; terrae.
Phrygia quidem in Ida homo/ diuum litem/ dissoluit
V pilorum bellum: excidia: nouissimumq; mei
Laris in damnum. gemit nurus domi aliqua
Ad latū Eurotan Lacaena lacrimosa nūc/ miserrima:
Genetrixq; cadentium infelix filiorum
Lacerat fera uerticem unguibus inca
Num/ & os: graue manu ubiq; ferociente.

ANCILLA / CHORVS
HECVBA / AGAMEMNON.

AN. Vbi Hecuba mulieres miserrima omnium:
Quam calamitatibus quidem/ mortalium
Non facile quisquam grauibus/ antecesserit?
CHO. Quid o misera tuis maledicis uocibus:
Nonquam ne tristia nunciare desines?
AN. Tristem adfero Hecubae nuncium: neq; enim
Facile in malis/ mortalibus/ bene loqui est
CHO. Egressa forte haec extulit domo pedem:
Verbis sed obportuna nunc adest tuis.
AN. O undiq; misera/ et magis quam dico etiam
Domina/ obcidisti/ iam amplius non intuens
Lucem: orba/ natis/ & marito/ & patria.

HEC. Nihil noui inquis: ominata scientibus:
Quid nam? Polyxenae mihi adferens uenis
Funus? sepulchrum cuius, ut pridem audio,
Frequens, Achiuorum omniũ opera, studium habet.

AN. Nihil ista noui: sed Polyxenam mihi
Luges: noua autem calamitate haut tangitur.

HEC. Heheu, dicata Libero, miserae mihi
Natae ne Casandrae huc meae fers tempora?

AN. Fles incolomem: & hunc mortuum nusq̃ gemis:
Verum cadauer hocce nudum respice,
Si tute mirum, spemq; praeter aestimas.

HEC. Heu uideo cassum luce filium meum
Polydorum: habebat quem domi uir Thracius:
Perii misera, iam nulla sum, nulla amplius,
Heu Bacchicarum legum mira soluo
Vltore nuper ex deo experiens mali.

AN. Iacturam enim infelix tui scis filii?

HEC. Incredibilia, incredibilia, noua, noua,
Video: mala, malis alia succedunt:
Nulla sine fletibus futura tempora: heu meae fortis.

CHO. Grauia quidem, infelix, grauia patimur mala.

HEC. O pignora misellae mia
Tris, qua nece miser stratus
Cadis? a quo caesus deniq; mortali?

AN. Nescio: sed ipsa in litore inueni maris.

HEC. Mersum ne: letali te fossum cuspide?

AN. Latam in arenam hunc ipsum uorticosi fluctus
Regessit æquoris.

HEC. Heheu me/heheu
Didici meorum/o nate/uisa luminum:
Nec me utiq; nigripennis
Lusit code/imago/de tua/
Non Iouis tuentis hinc iubar.

CHO. Quisnam necauit? fare coniectrix mihi.

HEC. Hospes enim eques ille/ille Rhodopeius
Pater apud quem alebat senex natum.

CHO. Quid dicis? hei mihi: aurum ut habeat perdidit?
Infanda/inaudita/inpia/& miraculis
Maiora conctis mostras: Vbi ius hospitum?

HEC. Abominande atq; exsecrande hominum omnium
Vt animam ense atrociter confodis
Neq; misertus usquam/in hunc sceuiens.

CHO. O misera/te laboriosissam ut omnium
Voluit deus/quicumq; sit/grauis tibi.
Sed uideo certe regem/amicæ/Agamemnonem/
Nolimus usq̄ aliquid deinceps hiscere.

AGA. O/Hecuba/quid cessas humo dare filiam?
Per Talthybium enim/quid petiuisti tuam
Quisquam Pelasgum ne puellam tangeret?
Et nos quidem dimittimus nec tangimus.

At tu otiaris/mirer ut tantum morae.
Venio uocatum te:bene illic omnia
Exacta sunt:horum tamen si quid bene.
At/quem hic necatum aspicio Troianorum?age/
Neq; enim pelasgum amictus indicat mihi
Quo regitur hoc miris lacer corpus modis.

HEC. Miser:me enim/dum sic loquor/miseram uoco.
Quid Hecuba agam?utrumne ad genu infelix cadã
Agamemnonis?silenter an feram mala?

AGA. Cur terga uertenti/imber e uultu cadit?
Prorsusq; rem taces. Quis hic est? indica.

HEC. Sed si genibus hostemq; seruumq; aestimans
Repelleret:malum adderem infelix malo.

AGA. Sum factus haut uates:opertas consili
Non audens/intellegam ut uias tui.

HEC. An fallor/atq; ad maleuolentiam ambigo.
Cum maxime hic nusq̃ gerat se hostiliter?

AGA. Si scite me horum uis nihil/in idem uenis:
Audire nequicquam profecto aliquid uolo.

HEC. Vltura liberos/sine hoc/non sum meos:
Quid haec reuoluimus?necesse est audeam/
Et si inpetrem/& neglecta si non inpetrem.
Agamemnon/ego te per genua precor tua/
Et per genas/& per beatam dexteram.

AGA. Quid cogitas?aetatis agère liberum

Reliquum quod est tuæ? istud est facile tibi.
HEC. Nunquam quidem, seruire dum uita hos regat
Artus, libens uolo, modo ulciscar malos.
AGA. Nos nunc in auxilium istud aduocas quoq;?
HEC. Horum nihil, fortasse, rex, quæ æstimas.
Hunc mortuum, per quem irrigat fletus genas
Vides? AGA. Video; nec quid futurum, intellego.
HEC. Ego peperi, & sub cingulo infelix tuli.
AGA. Est aliquis hic, misera, tuis ex filiis?
HEC. Non utiq; mortuis sub alto Ilio.
AGA. Peperisti & alium, præter hos, mulier, quoq;?
HEC. Inutiliter, opinor, ipsum hunc quem uides.
AGA. Cum euersa ciuitas fuit, ubi tunc erat?
HEC. Alio, periculi, miserat, metuens pater.
AGA. Et quo unicum natum, retentis ceteris?
HEC. Regionem in hanc, repertus ubi nunc mortuus.
AGA. Apud imperantem terræ huic Polymestorem?
HEC. Huc missus, aurum fertet ut amarissimum.
AGA. Cecidit ab hoc? qua forte? HEC. Quo ab alio? meus
Thrax hospes interfecit. AGA. O miser, sacra
Nunquid fames auri obcupauit ipsum? HEC. Ita est,
Postquam Phrygum fortuna uersa abiit retro.
AGA. Inuentus? an aliunde quis sic adtulit?
HEC. In eum incidit pro litore, hæc, pulsum ex mari.
AGA. Istudne agens? an quidquam aliud? HEC. e marmore

Petitum aquas ibat Polyxenam ut lauem.

AGA. Proiecit obcisum / ut uidetur / hospes hunc.

HEC. Sic fluctuans / fossum cadauer hoc modo.

AGA. O misera tu / mulier / laboriosaque.

HEC. Peri / & relictum / Agamemnon / est mali nihil.

AGA. Pro / nata deteriore genio femina?

HEC. Nulla est: nisi ipsam iam miseriam dixeris.
Verum ad tuum procumbo nunc quorsum genu /
Audi: & quidem si iusta me censes pati /
Fero utique: si uero secus / sis precor
Mihi ultor / hominis impiissimi hospitis:
Qui nec deos superos uentus: aut inferos
Metuens: facinus est ausus iniustissimum.
Persaepe communi ussus & mensa: & meos
Iure hospitalitatis / inter hospites
Princeps / honore / ut aequum erat / habitus / data
Obcassione / sustulit crudeliter
Natum: sepuchro / interficere cur si uoluit
Putauit indignum: inquieto cur modis
Proiecit undique lacerum mitis / freto?
Nos igitur & fortasse serui ac debiles /
Verum dei pollent. & his potentior
Lex: lege enim & deos putamus / & simul
Aequum / atque iniquum saepius perpendimus.
Quam / si istam inte neglegas: poenas neque

Dent/qui hospites necant/deorum uel sacra
Violare non uerentur:in mortalibus
Aequi quidem iustiq/censendum est nihil.
Hoc igitur in turpi aestimans:ne me hostico
Expende/rex/animo:sed/ut pictor/mei
Misertus/intuere propius:& mea
Considera/ quae patior infelix /mala .
Regina eram olim:serua nunc autem tibi:
Felix & olim filiis:nunc orba/anus/
Exulq/destitutaq simul/atq inops
Longe miserrima omnium mortalium.
Hei mihi:pedem quo/a me abstulisti/ut intra
Fecisse apud te uerba/misera/suspicor.
Cur nempe desciplina in omni/ut conuenit/
Homines laboramus/operaeq plurimum
Inpendimus/uerum Eloquentia/unica
Regina gentium/& domina contemnitur:
Neq hanc magis studemus usq ad exitum
Discere/minerual exhibentes:ut si opus
Id quandoque postulet/sit obuium
Suadere/& impetrare quod uolumus simul?
Quomodo igitur quis speret ex sententia
Me consecuturum aliquid:& enim filii
Tot amplius non sunt mihi:ipsa autem in diem
Captiuitatis ultimis in sordibus

c ii

Regina condam turpiter motior: procul
Fumumq; ciuitatis intuitor meæ.
Fortasse sermonis & inane istud quidem
Obicere Veneremeuetcumq; dicetur tamen
Nata ad latus, Phœbas, mea adcubat tuum
Casandra: sic enim uocant illam phryges.
Noctes amicas unde, rex, mostrauens
Carissimorum amplexuum ue, gratiam
Qualem rependes filiæ, ipsa autem mihi?
Tenebræ enim, & nocturna philtra, maximam
Adferre gratiam solent mortalibus
Audi obsecro, hunc ne mortuum tandem uides?
Huic benefaciens, tuo adfini quidem
Benefeceris: uerum unius sermo indigens
Etiam, fieret in brachiis si uox mihi,
Et manibus, & plantis pedum, atq; crinibus,
Vel Dædali artibus, deum uel munere:
Simul omnia tua amplecterentur ut genua,
Lugentia, omnibus modis precantia.
O domine, maximumq; lumen Græciæ,
Obsequere, præbeas seni ultricem manum.
Et si hoc nihil: Verumtamen boni uiri est
Laxare facili, frena Iustitiæ, manu,
Malosq; semper undecumq; persequi.
CHO. Graue est in humanis quod adcidit frequens

Leges Necessitatis ne determinant:
Faciunt amicos quandoq; inimicissimos/
Quandoq; reddunt beneuolos ex hostibus.
AGA. Ego teq;/filiosq;/Cissei/& tua/
Per misericordiam/manumq; supplicem
Habeo:& uolo deumq; gratia/inpium/
Poenam/atq; Iustitiae/rependere hospitem:
Vt possim honeste/habereq; uni istud tibi:
Puterq; Casandrae ergo nec me exercitus
Regi necem tunc intogasse Thracio.
Est unde perturbatio incidat mihi:
Hominem putat quidem hunc amicum exercitus/
Hostemq; mortuum:at tibi si amicus est/
Istud seorsum equidem/neq; est cum exercitu
Commune. Adhaec considera me ad omnia
Expositum habere/& ad futurum sedulum
Celeremq;:ceterum pigrum atq; desidem
Si incurram Achiui exercitus calumniam.
HEC. Pro/nemo/nemo liber est mortalium:
Fortunae enim hic aut seruit:aut pecuniae:
Hunc plebs prohibet:illum cohercent Axones/
Ipsum/suis pro arbitrio uti moribus.
Sed quod times/nimiumq; multitudini
Ipse tribuis:reddam hoc timore liberum.
Tantum quidem/si quid mali decreuero

In hospitem qui filium obcidit meum/
Feras ne operam: tum si ex Achiuis quispiam
Conetur adferre/arceas: nusquam meæ
Videare tu præstasse quidquam gratiæ.
In ceteris/confide/ego in tuto omnia.

AGA. Quomodo igitur? quid certe ages? effœtane
Correpto/anus/uitum ense/cedes barbarum?
Malo an ueneno? iniuria an ne aliqua alia?
Quid tibi aderit manus? amici unde & tibi?

HEC. Istæ obculentes/Troadum turbam/casæ.

AGA. Danaum/obsecro/prædamne/captiuas ais?

HEC. Vlciscar his sicarium prorsus meum.

AGA. Et quo uirorum robur his erit modo?

HEC. Potens numerus. & fraude inexpugnabilis.

AGA. Potens quidem: sed mulierum haud probo genus.

HEC. Quid? nonne feminæ extulerunt filios
Aegypti? & orbam penitus insulam uiris
Fecere Sinteida? sed hæc missa facito/
Et fieri ut hoc possit/mihi per exercitum
Emitte mulierem hanc statim tuto. Hospitem
Tu/ad Thracium profecta/dicito. Te uocat
Regina condam Ilii Hecuba/haut tua minus
Caus- ipsius quam scilicet sua: & tuos
Natos simul: quia oportet hos & illius
Sermonis esse conscios. Tu autem recens

Demortuæ Polyxenæ tumulum ueta /
Agamemnon: unis ut duo fratres / duplex
Erumna matri / dentur / ignibus / solo.
AGA. Hæc sic erunt: & enim foret si copiis
Cursus secundus / haut daretur hoc tibi:
Quoniam silet nunc aura / stare cogimur
Dum Iuppiter propitius in pedem incidat.
Fiet utiq; & quodammodo optime. Est enim
Cuiusque ciuitatis in rem / degere
Feliciter bonos / malos pœna adfici.

CHORVS.

Tu equidem o patria Ilias / urbs non
Iam inexpugnabilis / atq; inuicta:
Tales Græcorum undiq; te tenebræ obcultant.
Face / nam face turres
Domitæ / horribiliq; bello
Modis heu miseris squallent.
Cadis ultimas in sordes.
At ipsa amplius haut te intrabo:
Media / misera / obcidi
Noctesopor enim tunc clanculũ inibat
Ocellos placidus:
Et post epulasq; / chorosq; /
Sede uir optata

Libens in thalamis iacuit:
Tum autem & iaculum ad clauum/
Classes tum nihil inspiciens
Troiae olim Iliadi insidiatas.
Ego uero longis/aureos/speculorum
Cirros/ad orbes/ mitris
Tortos plicabam/
Lecto supina residens: ut
Cubitum propera hinc eam:repente
Strepitus ubiq:& ubiq frequens tumultus:
Celeusma uero tale Phrygum it su
Perbas per arces. Age iam Achiui/
Age tandem/Iliaca specula
Quando eruta domum ituri?
Thoro trepida excita statim
Caro/intuestis/Artemin
Velut Lacaena/
Nequicquam in auxilium peto.
Viduum inde anima intuens maritum/
Maria/maria trahor ad inportuosa:
Laresq circuens/ratis
Postq̃ pedem mouit reditura/
Meq domo exterminat Iliade:
Dolore profecuta
Sum/hic Castorum diris Helenã inpũs

Bobulcumq; Idæum
Grauem Parin:
Patria qui me ex
Pulit de terra.
Cuius plane
Hymen nec hymen/sed fatum ordine
Fecit scæuo
Miseram me extorrem:
Quam: nam neq; retro rapida
Maria agant. domum
Nam neq; rursum adeat ad paternam.

POLYMESTOR. HECVBA. CHORVS. AGAMEMNON.

POL. O Priame amice/tuq; amica Hecuba mihi/
Fleo/intuens te/& ciuitatem una tuam:
Tuamq; nuper traditam orco filiam.
Heu nil fidele: absurda enim est opinio
Benefacientem aduersa nequicquam pati.
Dei ista confundunt: & iterum/iterumq; agunt
Confusione posita: ut ignorantia
Ducti colamus eos. Sed hæc quid est opus
Lugere nequicquam uel ingemiscere?
Tu/tarditatem si quid accusas meam/
Desine: ego enim sum Thraciæ in medio soli/

Absensq; ubi adcessisti:& ut ueni/pedem
Tua haec/domo efferentibus/facta obuiam est
Ancilla nobis:cuius aure ut haussimus
Vocem/statim ad te uertimus celerem gradum.

HEC. Certe erubesco te intueri/huiusmodi
Polymestor/anfractu malorum & turbine:
Nam quem olim agens feliciter uidi:haud queo
Harum pudore sordium/uultus pati.
Spectare rectis nec facile te oculis mihi est:
Sed tute nusquam istud animi alieni puta
Polymestor:& enim caussa quaedam & lex/uirum
Arcere mulieres ab intuitu solet.

POL. Mirum nihil:sed qui mei est usus tibi?
Quare pedem excivisti ab aedibus meum?

HEC. Proprium mei ipsius tibi quiddam uolo
Ac filiis dicere tuis:tu istos procul
Iube ministros protinus abesse hac domo.

POL. O turba/famuli/abite fida:nam omnia
In tuto:amica tu/atq; amicus hic mihi
Exercitus Danaum:sed operam quo exigit
Effare/amica/calamitas praesens tua?
Habes me enim ad quaecumq; iusseris expositum.

HEC. Primum quidem/puerum manu illũ quem ex mea
Polydorum habes/patrisq; apud te/enuncia
An uiuat?abste deinde alia quaesiuero.

POL. Et maxime hac parte equidem agis feliciter.
HEC. O amice/quam bene dicis/atq; ut te decet.
POL. Quidnam secundo discere ex me postulas?
HEC. Parentis huius conmeminit ecquid mei?
POL. Huc certe iter quærebat clanculum.
HEC. Aurum ne saluum/quod habuit Troia exiens?
POL. Saluum:utiq; seruatum meis in ædibus.
HEC. Seruato nunc/aliena nec desideres.
POL. Minime:utinam præsentibus liceat frui.
HEC. An scis tibi dictura quæ sim/ac liberis?
POL. Nescio:tuis hoc aperies sermonibus.
HEC. Ita sane ameris/ut ego nunc misera te amo.
POL. Quid scire oportet me/meosq; liberos?
HEC. Defossa Priamidis uetus pecunia.
POL. Hæc filio sunt quæ referri uis tuo?
HEC. Hæc ipsa:& utiq; per te:es & enim uir pius.
POL. Quid filiorum igitur opus præsentiam?
HEC. Eos necesse scire tu si perieris.
POL. Sapienter/& pulchre quidem sentis/mulier.
HEC. Nostin e Palladis ubinam Iliæ domus?
POL. Illic pecunia forte?signum autem quod est?
HEC. Saxum inminet /superpendens/nigrum.
POL. Etiamne quid uis dicere horum/quæ hic/mihi?
HEC. Seruate te/qui cum exii/argentum uolo.
POL. Vbi illud est?in ueste ne?an id obcultum habes?

HEC. Inter spolia seruatur hisce in aedibus.
POL. Illic/Achiuum nempe ubi tentoria?
HEC. Has utiq; captiuae seorsum habent domos.
POL. Et quae intus autem/tutane/& uacua uiris?
HEC. Nemo est Achiuorum intus/& solae sumus.
Obrepe iam tuto in domos:nam classium
Soluere pedem hinc Graeci ad lares desiderant:
Vt his peractis/quae te oportet/rursum eas
Cum filiis/Polydorum ubi seruas meum.
CHO. Nondum dedisti/forte sed poenas dabis
Inportuosum ceu quis in pelagus ruens:
Perfide/mente concides/e/tua
Carens lumine,quando utiq; Ius secus/
Secus Di/premunt delinquentes.
Malum/graue quidem tibi malum.
Decipiet huius unde uenisti uiae
Spes:inferi in Iouis specum:hei heheu misera
Feminea manu relinques diem.
POL. Hei mihi/oculorum lumine infelix spolior.
SEMI. An audistis Thraci gemitus uiri?
POL. Hei Filii/rursum miserrimae necis.
SEMI. Patrata/amicae/sunt mala intus maxima.
POL. Sed me leui haut fugeritis pede:quatiens/
Harum quidem scindam aedium penetralia.
SEMI. Grauis ecce telum dexterae inpetum facit.

Vultis ne eamus intro/quo articulus uocat
Feramus ut Hecubæq;/Troianisq; opem?
HEC. Percute/nihil parce/feriens portas: neq;
Oculis repones lucidum iubar: neq;
Viuos uidebis liberos/quos perdidi.
CHO. Threicium enimuero hospitem/domina excipis?
Nec aliter omnino/atq; fecisti/refers?
HEC. Videbis hunc cæcum ante ianuam statim
Instabilem & hoc/& hocce uersantem gradum/
Duosq; filios/neci quos tradidi/
Cum Troadibus una optimis: mihi iam dedit
Poenam: exit autem e foribus/ut uides: ego
Ibo procul/discedam ab ipso longius:
Difficili enim Thraci iecur bile æstuat.
POL. Hei ubi stabo? quo uadam? quo adpellam?
Manu subcidua/terens
Iterum ut fera cunicetrix nemore in
Alto: Quam? hanc? an illam? mutabo
Scæuas homicidas rapturus
Iliadas: omnibus inprobe
Quibus perditus sum modis: quibus
Denique se tuentur miseræ
Tectis Phrygiæ?
O utinam mihi luminis intuitum
Luce/Phoebe/sospites miserrimum/bona/

Restituens teipsum.
Ah, ah, iam tute tace: obcultam harum fugam
Auribus hausi.
Quo uagus hinc passu, carne, ossibus
Quae atram brutorum faciabo famem,
Scelera reponens sceleri, iniu
Riosae hostimenta contumeliae?
Quo quo miser, ah miser iam rapior?
Erebi relicta prandio
Bacchis subole agrestibus
Psylliisque: & mani uento. o, ubi
Stabo, qua flectam? quo ibo, hunc
Pulsus in coetum atrocissimum,
Alnus ut adtrahens lina
Medio ex pelago,
Natis io meis
Miserrimus custos.
CHO. O miser ut intoleranda passus es mala:
Auctori enim sceleris, molesta, grauiaque
Dedit Deus, quicumque tam infesus tibi.
POL. Heu Thraciae heheu
Hastiferum, armatum,
Sciens duelli, & equitum, atrox genus.
Io Achaei, io Atridae,
Voco, uoco, clamans uoco:

Agite/currite per deos:
Audit quis?an fert nemo opem?quid hæc mora?
Phrygum dedere pessum
Phrygum puellæ me/dolo:
Inpia/inpia/perfero.
Heu miseram sortem.
Quo ambulabo?quoue uertar?
Aeris altum uolitans spacium:
An cœlitum lata atria: Orion/
Vel Sirius ardens/aetherios
Luminum agit ubi splendores?
Stygis infernæ nigri corpus
An fretum adibo infelix?
CHO. Donanda uenia: cum graui infortunio/
Exire quis/quo careat/e uita cupit.
AGA. Strepitum audiens ueni: quieta nusquam enim
Saxo genita montano/in omni exercitu
Echo/fragore tonuit: & Phrygum nisi
Turres/Pelasgum prælijs iacerent solo/
Timoris haut parum tumultus hic dabat.
POL. O amice/noui te quidem Agamemnon/tuam
Audiui ubi uocem: uides qualia fero?
AGA. Polymestor hei/quis te miserum ita perdidit?
Spoliauit & quis luce?quisue filios
Necauit?ira ductus est hic maxima

Inte/ttiosq; liberos/quisquis fuit.

POL. Hecubaq;/captiuæq;/perdidere me:
Nec perdidere;uerum atrocius etiam.

AGA. Quid dicis?an tantum facinus/ut hic ait/
Gifei/sustinuisti & ausa es inpotens?

POL. Hei mihi/quid inquis?certe enim est prope?indica/
Effare/ubi sit;ut furenti dextera
Crudeliter laceram artuatim dissipem.

AGA. Quid passus es talis?POL.Precor te/per deos/
Amitte sæuientem in hanc statim manum.

AGA. Contine potius;abigensq; corde barbarum
Fare;audiens ut te simul/& hanc/iudicem
Iure/ista sustinueris/an iniuria.

POL. Dicam utiq;.Priamidarum erat ualde Iuuenis
Polydorus Hecubæ filius;quem ex Ilio
Mihi dat pater Priamus alendum in ædibus:
Hunc/Troicam intuens halosin/eneco.
Quorsum istud autem;quoue consilio;adcipe.
Timui relictus ne tibi hostis/quandoq;
Recidiua Pergama excitaret hic puer:
Dehincq; Priamidarum Achiui aliquẽ/in Phrygas/
Superstitem si noscerẽt/exercitum
Rursus coacturos:solumq; Thracium/
Vicinaq; adeo sternerent late loca:
Concitiq;/Troianorum utiq; malum foret

Quo nunc laborabamus/o rex/anxię.
Cuius autem filii ut fouit necem/
Sermone me pellexit hoc:tanquam Ilio
Auri ſepulta talenta retegeret mihi.
Solumq; cum natis/in has duxit domos
Ne quiſpiam horum conſcius foret alius.
Lecti medius autem ſedeo/flexo genu/
Mulięr interim circum manus: alię quidem
A dextera:inde alię/puellę:ceu penes
Troianum aliquem amicum/ſedebant undiq;/
Texturam habentes dędalam Edones manus:
Mirantur ad ſolis nitores hos peplos.
Thraciam alię conſiderantes Camaca/
Incautum amictu me exuere duplici.
Quotquot:q; matres intuentes tunc erant/
Natos ferebant per manus/dum longius
A patre forent/ſubceſſionibus ſimul
Manuum tenentes/more blandientium/
Placidis/uti uides/adlocutionibus
Natos necauere enſe contepto e peplis:
Alię obcupauere hoſtium ritu manus
Mihi:filiis dum molior meis opem
Ne ſurgerem/raptis reclinabant comis:
Tum cogitarem ſi manu quidquam/abierat
Turba prementę feminarum infinito.

Postremo poenam maximam omnium inrogant:
Rapiuntq; palpebras meorum luminum
Pupulam eximentes funditus miserrimam
Cruenta acu: deinde celeri concitae
Qu erunt gradu aedium abdita / infrendens ego
Tamquam fera / inpias sequor miser canes:
Omnemq; ptentans aditum / ut alto in iugos
Venator / exturbans / fremensq;. Talia
Pro te fero / & tuis peremptis hostibus
Agamemnon: & ne te diutius morer:
Si quis priorum feminis maledixit: aut
Hodie est aliquis: aut saeculis redeuntibus
Futurus: ipse angustius stringam omnia.
Truculentius mostrum / solū / aut mare / nullū habet:
Et hoc satis cum feminis degens sciet.

CHO. Temeratius ne sis: neq; ex tuis malis
Muliebre ita adcussaueris totum genus.
Multae quidem: & aliae inuidendae / nascimur /
Aliae ad malorum saepe multitudinem.

HEC. Agamemnon / hominē / haut par erit / plusquā decet
Silentium sibimet ipsi inponere:
Benefacta certe praedicare conuenit /
Vbi quae secundum iusq; / fasq; / gesta sint.
Tum uero si a bono diuersus / aut aequo exit /
Nimirum oportet inprecarier ueniam:

Iniussa nec laudare contumaciter.
Qui hæc iudicauere, sapientes hi quidem:
Qui autem retro flexere, sapientes minime
Fuere semper, maleq; miseris adcidit:
Neq; istud euasit hominum quisquam diu.
Dixisse & inprimis penes te hæc, sit satis.
Obcurro nunc autem, atq; huic respondeo.
Quonam modo dicis Pelasgum duplici
Parsum labori, Agamemnonisq; gratia,
Meum necasse filium? Primum quidem
Nequaquam amicum fieret Argiuis, genus
Hoc barbarum: nam nec queat: igitur cui
Studens? an officiosus alteri ut fores?
Adfinitate ne? an quid aliud caussæ habens?
Verumne, agri tui fuerunt germina
Si nauigassent rursus, excissuri? & hæc
Cui te putas suasurum? at ut uerum uelis
Demum fateri, cupiditas meum obprimit
Natum tua, argentiq; pertinax fames.
Præterea & hoc doceto, cur, cum bene ageret
Ilion, habebat urbsq; turres undiq;,
Priamusq; uita uiguit, atq; Hectoris,
Non tunc quidem, debere si optasti hunc tibi,
Habens meum, tua, atq; alens natum in domo
Aut perdidisti, aut tradidisti ipsum Danais?

Sed lux ubi hæc relicta nobis:nostraq;
Incensa fumo patria culminibus ruit:
Tuos necas inter penates hospitem.
Adhæc similiter audias:ut omnium
Videare deterrimus. Achiuis siquidem
Fuisti amicus/illud aurum oportuit
Dedisse/non tuum/& statim indigentibus:
Agris tot annos & paternis iam procul.
Tu ab angulis nihil reglutinas tuis:
Sed tecum habes/propriaq; seruas in domo.
Natum & si alens/ut æquitas iubet/meum
Summam atq; fueras consecutus gloriam.
Bonos enim/sinistra manifestissimos
Faciunt amicos:prospera ultro omnes amant.
Tu si pecuniarum inops:hic adfluens:
Thesaurus ingens filius tibi meus.
At nunc neq; illum habes hominem amicum:simul
Aurum perit:ac filii simul tui:
Tu talis.atq; hoc dixerim tantum tibi
Agamemnon/istum si adiuues/malus uir es.
Nam nec pio/fidoue quibus oportuit/
Nec iusto/opem hospiti/nec æquo/inpenderis.
Gaudere uero te malis/talem/putem.
Qui imq; neq; dominos quidem contempserim.
CHO. Pro/pro/hominibus sententiarum ut subgerunt

Sempet bonarum obcaſſiones/res bonæ.
AGA. Aliena nobis iudicare graue eſt mala/
Verum neceſſitate cogimur:& enim
Subiens onus/ſi deferat negotium/
Turpi laboraturus eſt calumnia.
Mihi quidem/ut ſcias/mea nec gratia/
Nec pubis Argiuæ/necaſſe hominem hoſpitem
Videris:aurum ſed tuæ quo habeas domi.
Fingis tibi plane utilia pro tempore:
Necare apud uos forte & hoſpites licet:
Nobis Achæis iſtud inpiiſſimum.
Te certe inique iudicans/quonam modo
Exibo tunc infamiæ grauis notam?
Non utiq́.Sed poſtq̃ auſſus inpium es facinus
Facere:moleſta patere & inuicem miſer.
POL. Hei uiſſus ut muliere ſerua uinci:Ego
Peioris animaduerſionem perferam.
AGA. Non igitur æquum?hoc qui facinus admiſſeris.
POL. Heu filiorum/& luminum miſer. HEC. Doles?
Non me meo dolere de nato putas?
POL. Gaudes mihi/inpia/faciens iniuriam?
HEC. Gaudere non te uindicantem oportuit?
POL. Non forte:quando te æquoris uortex fremens
HEC. An nauigabis Achaici ad limis ſoli?
POL. Lapſam ſinu uorabit ex carcheſiis.

HEC. Ab hoc ne deturbata ui/in pelagus ferar?
POL. Superabis ipsa nauis arborem pede.
HEC. Humeris quidem alatis? an alio quo modo?
POL. Fies canis/fuluo & latrabis lumine.
HEC. Qui nota formæ est tibi meæ mutatio?
POL. Dionysius prædixit ista Thracis.
HEC. An retulit quidquam malorum horum tibi?
POL. Non: uix enim me unquam hocce lactasses dolo.
HEC. Moriens utrum/ an uiuens figuram illam induo?
POL. Moriens: tumuli cognominis fies tui.
HEC. Denominationem ais ne? an quid aliud?
POL. Arantibus maria alta/monimentum canis.
HEC. Nil ista: poenarum modo dederis satis.
POL. Iubet q; Casandram necessitas mori.
HEC. Perdespuiante q; omen hoc uertant dei.
POL. Necabit uxor huius hanc/custos domus.
HEC. Non fureret usq; adeo puella Tyndaris.
POL. Hunc quoq;/securim desuper tollens. AGA. Furis
Adhuc? malum inuenire iam desideras?
POL. Occide: quia te Argis rubræ expectant aquæ.
AGA. Non trahitis hunc uiolentius/serui? POL. Aegre habes?
AGA. Non continetis huic statim os? POL. Occludite/
Dictum tamen. AGA. Nã quam celerrime abditam
In insulas abicitis/aut nemora inuia:
Tam multa postquam audacter obloquitur nimis?

O Hecuba misera/mortuos tandem hos duos
Conde tumulo:dominorum / oportet uos quidem
Adcedere ad scenas/puellæ Troades.
Ventos enim uideo ferentes nos domum.
Bene igitur in patriam:utinamq; ibi bene
Videamus omnia/liberi his laboribus.
CHO. Ite/perite/Amicæ iam portus:
Vos dura uocat sors:atrox enim/& in
Superabile Fatum.

FINIT.

Excussum Formis Francisci Vgoleti
Nonis Iuniis. MDVI. Parmæ.